

pacifica possessio alterius Ecclesiæ. Ex decreto Urbani VIII. diei 20. Martii 1625.

De hac re agit Benedictus XIV. Synod. Diœces. Lib. 13. c. 16. num. 7. et seqq.

#### TITULUS VIII.

#### De auctoritate et usu Pallii.

1. Quoniam Pallium est signum distinctivum significans potestatem supra-episcopalem, hinc postquam actum est de modis quibus aliquis constituitur vel Episcopus vel Archiepiscopus vel Primas vel Patriarcha merito B. Raymundus tractat de auctoritate et usu hujus sacri ornamenti ecclesiastici. Pallium in sua materia consideratum nil aliud est quam fascia seu zona quædam lanea albi coloris quatuor crucibus vel nigris vel rubris decorata, quæ circumvolvitur humeris et pectori, cujus extrema aliquantulum defluunt. Diximus crucibus nigri vel rubri coloris; nam ante sæc. XIII. in Ecclesia Latina adhibebantur rubri coloris, nunc autem nigri coloris cruces adhibentur; in Ecclesia autem Græca prius rubri coloris adhibebantur cruces, nunc autem Pallio Græcorum seu Homophorio inseruntur cruces purpureæ contextæ auro. Pallium habitum est et habetur in Ecclesia ceu signum ecclesiasticæ jurisdictionis, et hoc sub aspectu definiri potest ut sit: 'principale ornamentum ecclesiasticum de Corpore B. Petri desumptum a Rom. Pontifice Archiepiscopis et superioribus Dignitatibus concessum exprimens potestatem supra-episcopalem'. Cum hujusmodi ornamentum etiam antiquis temporibus adhibitum fuisse habeamus, hinc Doctores pro genuino conceptu hujus ornamenti determinando quoad ejusdem significationem pervestigant originem ejusdem. Quædam et nos de ea breviter dicimus.

2. Est aliquorum opinio Pallium esse vestem sacerdotalem inductam ab Ecclesia ad imitationem Ephod et Rationalis, quæ ornamenta a summo sacerdote adhibebantur in V. T. Verum hæc opinio non placet; nam 1<sup>o</sup>. Ephod et Rationale Judæorum prout a rerum judaicarum peritis exhibetur, non referunt figuram Pallii ecclesiastici; et 2<sup>o</sup>. in Rationali quod ad pectus summi sacerdotis appositum erat, duodecim gemmæ habebantur, in quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum populi judaici; pariter Ephod quod in utroque onyche, quo humeros ornabat, referebat nomina

duodecim tribuum; hæc autem inscriptio significabat summum sacerdotem habendum esse ceu mediatorem inter Deum et populum judaicum. Jamvero Pallium ecclesiasticum assumptum est ceu signum jurisdictionis, non autem ceu signum mediationis inter Deum et populum. Quod confirmatur ex eo quod si esset signum mediationis in Ecclesia, vel Pallium esset solummodo a summo Pontifice gestandum, vel simul ab omnibus etiam Episcopis; non enim minus sunt mediatores inter Deum et homines Episcopi ac sunt Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ. Igitur qui notionem Pallii tradunt in similitudinem Ephod vel Rationalis non exhibent notionem geneticam seu originis, sed solummodo hæc opinio assumi potest in sensu eorum qui supposita existentia vestium sacrarum in Ecclesia, easdem vestes et earum usum intendunt explicare in similitudinem indumentorum sacrorum Veteris Testamenti.

3. Aliorum opinio est Pallium civilem habere originem et fuisse distinctivum honoris concessum Archiepiscopis ab Imperatoribus; et afferunt documentum ex quo eruitur, Constantinum Magnum donasse Silvestro Rom. Pontifici superhumerali, seu Lorum quo Imperator ipse decorabatur. Verum neque hæc opinio acceptari potest. Primo enim hoc documentum non est antiquius Sæc. IX. et per consequens ceu suppositum non probat existentiam factæ donationis superhumeralis a Constantino. 2<sup>o</sup>. sed etiam adest ratio juridica quæ hanc opinionem excludit. Etenim Pallium etiam in antiquitate habitum est tanquam signum jurisdictionis ecclesiasticæ. Hinc auctores etiam contrariæ sententiæ, uti Berardius tom. 1. sui operis Commentar. in Jus Ecclesiast. univers. testantur temporibus RR. Pontificum Vigili et Gregorii Magni Pallium fuisse concessum Vicariis Romani Pontificis in signum vigilantiae quam supra Episcopos vice Pontificis exercere debebant. Jamvero Ecclesia in signum jurisdictionis ecclesiasticæ profecto nunquam sumpsisset ornamentum civile, idest ornamentum imperiale, ne videretur potestas supra-episcopalis originem civilem habere, et ab Imperatoribus derivare, præsertim cum jam a temporibus Imp. Constantini Hosius Cordubensis Episcopus alique Ss. Patres conclamaverint ac tantopere adlaboraverint ne confunderetur potestas Ecclesiæ cum potestate imperiali, ne Princeps laicus, ut ait Hosius, ad se pertraheret ea quæ ad Ecclesiæ potestatem pertinent, scribens 'Tibi Deus imperium dedit, nobis autem ecclesiastica concredidit'. Hinc origo civilis excludenda est a Pallio.

4. Verior sententia hæc est, quam proponit et tuetur Vespasiani in dissertatione de sacri Pallii origine edita Romæ typ. S. Congr. de Prop. Fid. an. 1856. Penes orientales populos mos fuit et consuetudo gestandi vestem quandam superimpositam humeris, quæque pro lubitu operiret etiam partem anteriorem personæ. In musivis operibus antiquis Christus Dominus et Apostoli Pallio contecti apparent. Ab ipso autem Vet. Test. consuetudo inducta fuit, ut demortuo aliquo sancto viro, successor in ejus locum Pallium ejusdem mortui viri assumeret sive obsequii et imitationis causa, sive etiam ut in persona successoris quodammodo appareret perseverans auctoritas, dignitas, et si ita fas est dicere, ipsa persona demortui viri. Ita Eliseus assumpsit pallium Eliæ Reg. IV. 2. Quoad vero historiam ecclesiasticam, præter narrationem S. Hieronymi in vita S. Pauli Eremitæ de Pallio ab Eremita Paulo accepto ab Athanasio antistite Alexandrino, habemus Nicetam narrantem usum transferendi Pallium S. Jacobi fratris Domini in successores Episcopos Hierosolymitanos. (Nicetas in Hist. Eccles.). Liberatus autem Diaconus in historia Nestorian. et Eutich. describit ordinationem Theodosii in sede Alexandrina, et simul tradit morem ordinarium servatum in assumptione Episcoporum Alexandrinorum, qui mos in eo consistebat, ut demortuo Episcopo Alexandrino qui erat electus in locum ejus excubias exercere deberet, idest per integram noctem vigilare deberet ante cadaver demortui Episcopi, et orationes in vigiliis fundere; deinde assumeret pallium demortui Archiepiscopi, quod pallium erat illud idem quod fuerat a S. Marco relictum; atque ita censeretur, personam assumptam in episcopale ministerium quodammodo locum tenere S. Marci, cujus persona in pallio repræsentabatur. Eusebius Cæsariensis in sermone de Epiph. Domini tradit B. Linum Romanum Pontificem assumpsisse Pallium S. Petri, atque ita habuisse signum plenitudinis potestatis primatialis in universa Ecclesia. Quapropter pallium quod fuerat vestis usualis et communis B. Petri, cœpit esse typus, signum et ornamentum ecclesiasticum significans conservationem potestatis primatialis Petri in successoribus suis. Cum verò Pallium B. Petri tractu temporis consumptum fuerit, ne ipsa significatio simul evanesceret, inductum est, ut fimbriæ in formam extremitatis antiqui pallii assumerentur loco vestis longioris; quæ fimbriæ circumducerentur et adolverentur humeris et pectori, ita ut extremitates aliquantulum

defluerent. Quare hinc hujusmodi fascia repræsentans fimbrias vel vittas, quæ jussu Domini in V. T. magno honore habebantur substituta est in locum Pallii, seu vestis longioris.

5. Pallium non solum fuit proprium Romani Pontificis, sed etiam ab eodem missum fuit ab antiquitate quibusdam Episcopis qui habiti sunt ceu Vicarii Romani Pontificis; hinc in antiquitate quemadmodum Pelagius I. mittens Pallium Arelatensi Episcopo testatur, Episcopi qui a Romano Pontifice Pallium recipiebant, censebantur gaudere potestate superiori et speciali præ aliis Episcopis. Quare cum præter duos gradus ordinariæ jurisdictionis ex jure divino, singulorum nempe Episcoporum et Romani Pontificis, introducti sint gradus intermedii jurisdictionis supra-episcopalis, id est gradus Metropolitanæ, Primatialis et Patriarchalis jurisdictionis, inductum est ut Metropolitanis seu Archiepiscopis, Primatibus seu Exarchis, et Patriarchis Pallium a Romano Pontifice mitteretur, quod habitum est ceu signum supra-episcopalis jurisdictionis et partialis sollicitudinis Romani Pontificis in universam Ecclesiam, quam Romanus Pontifex commisit et committere solet aliquibus Episcopis in ordine ad aliquam provinciam vel regnum vel patriarchatum. Pallium autem dicitur sumi de Corpore B. Petri ut significetur supra-episcopalem potestatem esse participationem potestatis primatialis Petri residentis in Romano Pontifice. Hinc ritus benedicendi et custodiendi Pallium in Romana Ecclesia apprime significat intentionem esse Romani Pontificis ut Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ cognoscant eorum potestatem supra-episcopalem ex potestate Petri procedere.

6. Ritus autem hujusmodi hic est. Nimirum, antiquitus in die anniversario martyrii B. Petri, hodie autem in pervigilio ejusdem diei post Vesperas ipse Romanus Pontifex Pallia benedicit, et eadem deponit per suos Capellanos id est auditores S. Rotæ in confessione Basilicæ S. Petri prope locum in quo custoditur corpus ejusdem Apostoli. Electus est autem dies iste pro Palliis benedicendis, quia dies est in quo B. Petrus deposuit Pallium suum suscipiendum inde a successoribus et transmittendum personis in Ecclesia, quæ majoribus dignitatibus decorantur.

7. Hinc facta historica optime demonstrant originem Pallii esse ecclesiasticam, eamque referre conceptum quemdam dogmaticum, id est potestatem primatiale Petri in universa Ecclesia et comparticipationem aliquarum personarum in eadem potestate ex

concessione speciali Romani Pontificis. Adnotandum vero est ex usu inductum fuisse ut aliquando Pallium concederetur honoris tantum causa quibusdam Episcopis, sive intuitu sedis, sive intuitu etiam Episcopi qui sedem tenet. In specie quoad Græcos animadvertendum est in Ecclesia orientali quatuor Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum et Hierosolymitanum, unumquemque in suo patriarchatu Pallia Archiepiscopis et Exarchis concedere, et hoc ex can. 17. Concilii Oecumenici VIII. nec non ex *cap. 23. de Privilegiis* in Decretal. Verum in *cap. 23. cit.* statutum est ut nemo ex illis Patriarchis Episcopis sibi subditis Pallium conferat nisi antea ipse a Romano Pontifice Pallium assecutus fuerit; quæ dispositio optime exprimit in Romano Pontifice existere centrum auctoritatis supra-episcopalis, eamque communicari servato ordine in jure statuto variis sedibus atque personis.

8. Hisce positis, quædam dicenda sunt **de auctoritate Pallii**. Cum Pallium sit signum conferens auctoritatem supra-episcopalem 1°. Archiepiscopus antequam Pallium a Romano Pontifice assequatur non potest appellari absolute Archiepiscopus. Ita in *c. 3. h. t.* 2°. Pariter licet fuerit consecratus in sua Ecclesia non potest Archiepiscopus ea Ordinis officia exercere in quibus, ut ait Pontifex agere videtur tanquam Archiepiscopus. 3°. Sic pariter ante Pallii assecutionem prohibetur Archiepiscopus actus jurisdictionis ponere qui proprii sunt archiepiscopalis potestatis. Et quoad exercitium ordinis episcopalis, non accepto Pallio, Archiepiscopo prohibetur sacrum conficere chrisma, Clericos ordinare, Episcopos consecrare, et Basilicas dedicare: ita in *c. 28. §. 'super eo' de Elect. et Elect. pot.* cui etiam adhæret *c. 3. h. t.* Et ratio est quia istæ sacræ functiones licet sint ordinis episcopalis, tamen peraguntur ab Archiepiscopo tanquam Episcopo i. e. peraguntur intra Missarum solemnias, et in vestibis pontificalibus adhibito Pallio archiepiscopali. Cæterum ex dispositione *c. 9. de Elect. et Elect. pot.* Archiepiscopus post acceptam confirmationem etiam non accepto Pallio potest suffraganeo suo committere ut supradictas functiones sacras peragat. Pariter Archiepiscopus ante acceptum Pallium potest ea officia Ordinis episcopalis peragere in quibus non requiritur usus Pallii et celebrantur etiam extra Missarum solemnias adhibitis superpelliceo et stola uti sunt confirmatio Baptizatorum, Benedictio sacrorum indumentorum et vasorum sacrorum et cœmeterii. Quoad jurisdictionem Archiepiscopus ante

receptum pallium non potest synodum provincialem convocare: ita in *cit. c. 28. de Elect. et Elect. pot.* nec potest Provinciam i. e. Diœceses suffraganorum visitare, quia actus hujusmodi sunt proprii archiepiscopalis potestatis. Canones citati ob particulares species Pontificibus propositas, mentionem faciunt solum de Archiepiscopis quando sermo est de auctoritate Pallii; sed ob paritatem rationis quæ de Archiepiscopis dicta sunt, Primatibus etiam et Patriarchis merito applicanda esse videntur.

9. Cum ad exercitium potestatis supra-episcopalis pallium requiratur, hinc est quod Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ post eorum Confirmationem et juxta hodiernam praxim post eorum promotionem in consistorio Pontificis tenentur quamprimum proponere petitionem Pallii. Possunt autem Pallium petere etiam per procuratorem. Petitio autem juxta mentem *can. 2. dist. 100.* fit sub hac formula ut Pontifex *instanter, instantius, instantissime* dignetur Pallium concedere: quæ formula etiam hodie servatur.

10. Nunc **de usu Pallii**. — Hanc materiam de usu Pallii tria quodammodo principia determinant. Principia hæc sunt: 1°. Pallium non est signum plenitudinis et supremæ potestatis quoad Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, sed est signum quo Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ vocantur in partem sollicitudinis pontificiæ in universalem Ecclesiam. 2°. Pallium est signum territoriale. 3°. Pallium est etiam signum personale. Ex 1. principio sequitur Archiepiscopum non posse omnibus in locis omnibusque temporibus Pallio suo uti, sed solummodo in iis locis illisque temporibus quibus permissum est a jure. Ita in *c. 4. h. t. e cap. ult.* pariter *h. t.* Quoad locum Archiepiscopus extra Provinciam Pallio uti non potest, Primas extra Nationem, Patriarcha extra limites Patriarchatus. Quoad tempora usus Pallii, potest Archiepiscopus uti Pallio diebus solemnioribus in anno, necnon die commemorationis suæ consecrationis, et quando vel ordinat clericos, vel consecrat suffraganeos, vel dedicat Ecclesias. Ex eodem principio sequitur etiam Archiepiscopum uti posse Pallio solummodo intra Ecclesiam, quia hoc concessum est a jure. Ita in *c. 1. h. t.* Quod si processionem peragat extra Ecclesiam Pallio decorari non potest.

Secundum principium est ut Pallium sit signum territoriale: hinc potest Pallio uti Archiepiscopus non solum in Ecclesiis suæ Diœceseos, sed etiam in Ecclesiis Provinciæ suæ; in Ecclesiis autem

extra Provinciam non potest, nisi et privilegium habeat et accedat consensus Archiepiscopi provinciae illius. Ex eodem principio sequitur, Pallium unius Provinciae non posse ab Archiepiscopo adhiberi, si in aliam sedem archiepiscopalem transferatur, sed pro nova sede archiepiscopali novum pallium petere debet.

Tertium principium est Pallium est personale. Hinc ex c. 2. h. t. Archiepiscopus non potest illud alteri Archiepiscopo commodare aut donare, sed secum retinere debet tanquam signum personale dignitatis, ita ut quando Archiepiscopus demoriatur debeat cum pallio proprio sepeliri, videlicet pallium cadaveri imponitur. Quod si Archiepiscopus de una in aliam sedem archiepiscopalem fuerit translatus, sepelitur cum utroque pallio, ita ut pallio recentioris Ecclesiae cadaver decoretur, aliud autem antiquioris sedis vel debeat collocari sub capite, vel extendi supra corpus. Ita Ostiensis et Abbas in c. 2. h. t.

#### TITULUS IX.

### De renunciatione.

1. Explicatis modis, quibus praelati constituuntur in dignitate ecclesiastica, et signo jurisdictionis, quo quidam eorum decorantur, modus describitur quo dignitas plerumque amittitur. Renunciatio quae etiam dicitur resignatio capp. 5. et 8. h. t. definitur: 'spontanea cessio seu dimissio proprii Beneficii facta ex aliqua justa causa coram legitimo superiore illam acceptante'. Haec definitio satis clare exprimit conceptum rei definitae: eam tamen melius explicabimus cum qualitates renunciationis exhibebimus.

2. Interim de divisione renunciationis agendum est. Renunciatio alia est tacita alia expressa. Tacita renunciatio obtinet cum quis censetur Beneficio renunciare voluisse per liberam positionem alicujus facti, quod de animo renunciandi explicari debet, et aliter explicari nequit. Ut vero tacita resignatio habeatur, duo requiruntur 1º. ut factum libere ponatur; si enim ex coactione ponatur, non potest considerari ceu iudicium voluntatis renunciandi Beneficio. 2º. Requiritur ut factum sit concludens, i. e. aliter explicari nequeat, saltem ex dispositione juris illud factum interpretantis tanquam indicium renunciationis.

3. Haec vero facta plura sunt. Primum factum describitur in capp. 2. et 3. de Clericis Conjug. si nempe Clericus minor qui

beneficium possidet matrimonium ineat. Conjugalium enim status saltem in Ecclesia Latina incompatibilis censetur cum clericali militia et officio sacro beneficiorum. *Cap. 5. de Clericis Conjug.* Beneficium enim constituit stationem seu positionem qua persona divino servitio in particulari ecclesia mancipatur. Qui autem cum uxore est sollicitus est quae sunt mundi quomodo placeat uxori et divisus est 1. Cor. 7. Quare ipso jure vacat Beneficium. — 2º. Si quis Beneficium possidens Religionem approbatam ingrediat, ibique vota nuncupet, ex *tit. de Regul. et trans. ad Relig.* censetur renunciasset Beneficio. Cui factum simile est aliud, si nempe Clericus factus sit miles, et militiae statum serio assumpserit. *Glos. in cap. ult. de Cleric. non resid.* Censetur enim beneficium suum habere pro derelicto. — 3º. Factum quod inducit tacitam Beneficii renunciationem est acceptatio alterius Beneficii cum priore incompatibilis *c. 28. de Præb. et Extrav. Execrabilis eodem tit. inter Commun.* Non potest enim dari juridica possessio simultanea duorum beneficiorum, quorum utrumque intentione juris clerici stationem defigit.

4. Haec tria facta exhibent renunciationem tacitam ex praesumptione juris, ita ut positis hisce factis retinenda sit renunciatio etiam contra invitum. Duo exempla tacitae renunciationis traduntur, quae revera positivam renunciandi voluntatem demonstrant. Primum exemplum affert *c. 3. De his quae fiunt a major.* in quo lite pendente inter duos ut praeposituram Augustensem consequerentur, traditur Pontificem uni praeposituram adjudicasse ex tacita alterius renunciatione; hic enim alter priori obsequium et reverentiam Praeposito debitam praestiterat. Secundum exemplum exhibet *c. 3. h. t.* Quidam Clericus Ecclesiae alicui adscriptus bona sua eidem contulerat. Vitam inde monasticam eligens, in quoddam monasterium recipi cupiebat, fecitque sibi restitui bona, quae priori Ecclesiae tribuerat. Hoc factum bene exprimit contrariam intentionem redeundi ad illam Ecclesiam, ac proinde explicandum est et recipiendum ceu tacita renunciatio. Hinc mutato consilio de vita monastica suscipienda, Clericus ille jus non habet ad Ecclesiam pristinam revertendi ut inter Clericos qui de bonis Ecclesiae ejusdem sustentantur recipiatur.

5. Expressa renunciatio est quae vel verbis vel scriptis perficitur voluntatem beneficium resignandi declarantibus. Res per se nota est. Indifferens est autem utrum quis per se ipsum per